





AVCTORITATE
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS HEREDITARIJ
AC DOMINI

583 9
1754, 3.
DOMINI FRIDERICI

HASSIAE LANDGRAVII RELIQ.

AD ORATIONEM SOLEMNEM
DE IVRE ELIGENDI EPISCOPOS ATQVE ABBATES
AB IMPERATORIBVS CAPITVLIS NEC NON MONASTERIIS
ANTE TRANSACTIONEM ILLAM QVAE VVLGO CONCORDATORVM
NATIONIS GERMANICAE NOMINE INSIGNIRI SOLET

QVA
VIR ILLVSTRIS ET CONSVLTISSIMVS
D O M I N V S

IOHANNES ANDREAS HOFFMANN

PROFESSIONEM IVRIS ORDINARIAM

A. D. XIII. KALEND. NOVEMBR. MDCCCLIII. HORA X.
IN AUDITORIO MAIORI AD LANVM
RITE AVSPICABITVR
BENEVOLE AVDIENDAM

PERILLVSTREM MAGNIFICVM
ACADEMIAE PROCANCELLARIVM
REGIMINIS PRINCIPALIS CONSILIARIVM INTIMVM
RELIQVOS ACADEMIAE PROCERES

DIVINARVM ET HVMANARVM ARTIVM PROFESSORES CELEBERRIMOS
GENEROSOS ET NOBILISSIMOS CIVES
OMNESQVE LITERARVM FAVTORES ET PATRONOS
PRAEMISSA DISSERTATIONE

DE ORIGINE ET AVCTORITATE PRVDENTVM APVD
ROMANOS OLIM IVRIS LEGVMQVE INTERPRETVM

QVA DECET HVMANITATE INVITAT
PRORECTOR

IOHANNES NICOLAVS FVNCIVS

ELOQVENTIAE ET POESEOS PROFESSOR ORD.

~~~~~  
M A R B V R G I

TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI

ACADEM. TYPOGR.

AVCTORITATE  
ERECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS HEREDITARIII  
AC DOMINI  
DOMINI FRIDERICI  
HASSIAE LANDGRAVII REXIS

DE IURE ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
AD INTERIORUM GYMNASII APTAE ABBATIS  
IN QUA ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
HASSIAE LANDGRAVII REXIS

VIRO ILLUSTRI ET COMITISSIMO  
HASSIAE LANDGRAVII REXIS  
JOHANNES ANDREAS NOFFMANN  
PROFESSOR HUIUS ACADEMIAE  
A. M. 1784. CALEND. FEBRUARII. NO. 2.

ACADEMIAE ERGONOMI APTAE ABBATIS  
ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
RECTORIS ACADEMIAE ERGONOMI APTAE ABBATIS  
ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
DE ORIGINE ET AVCTORITATE ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS

ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS

ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS  
ERIGENDI ERGONOMI APTAE ABBATIS







Non bellica tantum virtute, sed pacis etiam artibus, religione et iusticia, legibus et institutis egregiis Respublica illa Romanorum a parvis initiis ad summum potentiae fastigium ascendit. *Duabus his artibus, inquit SALLUSTIUS, (a) audacia in bello, ubi pax venerat, aequitate seque remque publicam curabant.* Et *SULPICI* Poetria *(b) Duo sunt, quibus extulit ingens Roma caput, virtus belli, et sapientia pacis.* HORATIUS de AVGVSTO: *(c) Res Italas armis tuearis, moribus ornes, Legibus emendes.* Quare perspicere non possum, cur CHRISTOPH. FOERSTNERVS, *(d) rerum politicarum alias scientissimus, scribere non dubitauerit: Romanos bellorum quidem veteres virosque fortes, sed ad pacis tempora neque legibus neque assuetudine institutos fuisse. Ut nemini mirum videri debeat, remp. illam bellis tantum quaesivisse imperium, tantamque gloriam: contra cum pace tantum gaudere deberet, velut ferrum rubigine oblitum omnem amisisse splendorem.* Contrarium vero PIGHIUS, *(e) RVPERTVS (f) aliique rerum politicarum doctissimi ex historia Romana luculenter ostendunt atque confirmant.*

Cum igitur plerique in eo consenserint, Romanos belli pacisque studiis excelluisse, et domi militiaeque virtutem ostentasse summam, quaesitum fuit, et in vtramque partem a Politicis disputatum, verum magis pacis artibus, an vi armorum ad tantam magnitudinem, quae orbi terrarum par esset, euecti fuisse censendi sint. Bellorum quidem gloriam non negamus, multumque fortitudinis cultu maiestatem atque potentiam Romanam creuisse concedimus: neque tamen illos errare credimus, qui paci priores in gloria et magnitudine partes vindicant. Sicut enim difficilius est, tueri parva, quam acquirere, ita maiori virtute opus est ad regendum conferendumque tam vastum imperium, quam multas in ditionem et potestatem redigere prouincias. Non armis ergo tantum, sed, quod multo maius, legibus, quibus supra omnes vrbes caput suum extulit, Romani populi potentia creuit atque tamdiu constitit. Nam vere et eleganter CICERO, *(g) neque viri, inquit, nisi ita morata ciuitas fuisset, neque mores,*

A 3

(a) in Catil. c. IX.

(b) in elegantia Satyra de statu reip. temporibus Domitiani *Ÿ. 20. 21.*

(c) lib. II. ep. I. *Ÿ. 2.*

(d) notis Politicis in Corn. Tacitum.

(e) lib. V. Annal.

(f) in obseruationibus ad Florum in prol.

(g) de rep. lib. V. apud Aug. de ciuit. D. lib. II. c. 21.



✿   ✿   ✿

T  
*mores, nisi hi viri praesuisent, aut tandem tenere potuissent tantam, et tam iuste lateque imperantem temp.* Similiter IVSTINIANVS Imperator scribit (b): *Nunquam Romanam rempublicam ex tam parvis principiis ad tantum ascendere fastigium potuisse, ut totum paene terrarum orbem sibi subiiceret; nisi magistratibus, quos praetores vocabant, hinc inde in prouincias subactas missis, armorum iuxta ac legum potestatem fecissent ad utraque tempora tam belli quam pacis gubernanda.* Ita omnino est. Saluberrimae leges, optima constitutiones, et sapientissima earum administratio ad bene condendam illam rempublicam et feliciter conseruandam ornandamque plurimum tribuerunt, tantamque gloriam attulerunt, ut terrarum Dea gentiumque Roma diu fuerit. Tanta enim prudentia, iustitia et aequitate omnia constituerunt Romani, vt ne nostrum quidem seculum poeniteat, illorum legibus et institutis vt suasque inde adhuc diiudicare controuersias. Leges autem Romanae ciuitatis pro ratione temporum, diuersisque rerum conuersionibus, et mutata saepe ciuilibus administrationis forma, variae fuerunt. Alia legum ratio fuit tempore regum: alia in aristocrazia post exactos reges: iuris iterum alia ratio in Democratia, surgentibus deinde tribunis; aliae porro leges in oligarchia inde a Cinnanis contentionibus ad Triumuiros vsque reipublicae constituendae: aliae denique, omni libertate prorsus amissa. Hinc leges, plebiscita, Senatus consulta, praetorum edita, et Principum placita orta sunt.

Initio, sub vrbis incunabula, sine lata lege et iure scripto populus erat, quod regum arbitrio et iussu omnia gerebantur; postea vero, flagitante populo, primum a Romulo, deinde a subsequentibus Regibus, ad retinendam in obsequio multitudinem, leges conditae sunt, quas *Regias* appellarunt. (i) Has Regias siue curiatas leges SEXTVS PAPIRIVS in vnum volumen primus conegessit, quod *ius Papirianum* vocari solet. Exactis denique Regibus cum ius Papirianum siue leges Regiae exoleuissent, magna inter Patricios et plebem controuersia de potestate nouarum ferendarum legum exorta diuque agitata fuit, donec tandem A. V. CCXCVIII. tribuni plebis lenius cum Patribus agerent, eosque rogarent, vt finem certaminum facerent, si plebeiae leges displicerent, vt illi communiter legum latores et ex plebe et ex Patribus, qui vtrisque vtilia ferrent, quaeque aequandae libertatis essent, sinerent creari. (k) Nec resistebant Patres, sed daturum leges neminem nisi ex Patribus aiebant. Senatus consultum ergo factum est, vt tres legati in Graeciam mitterentur, qui leges SOLONIS et aliarum Graeciae ciuitatum instituta, mores iuraque describerent. Quibus reuersis Decemviri ex Patriciis creati sunt, qui corpus aliquod Romanarum legum conficere et rempublicam constituere debebant. Hi decem legum tabulas ex iure quod legati ex Graecia attulerant, conditas centuriatis comitiis pertulerunt aequifimas, ita vt vniuerso populo summopere placerent, aeri que incisae postea in fori loco maxime conspicuo proponerentur. In componendis

(b) Nouella 24.

(i) vid. ROSINI Antiq. Rom. lib. VIII. c. 4.

(k) T. LIVIVS lib. III. c. 31.



ponendis his legibus Decemviri interprete vfi sunt HERMODORO, qui tunc forte patria eiectus in Italia exulabat, et quique ob nauatam hanc Decemviris operam, teste PLINIO, (l) statua donatus est. Cum autem deesse his legibus aliquid videretur, anno sequenti alias duas ad easdem tabulas adiecerunt, et velut absolutum corpus totius Romani iuris exhibuerunt. (m) Et hae sunt celebres illae duodecim tabulae, fons omnis publici priuatique iuris, a quibus Iurisprudentiae studium aufpicandum esse multi monuerunt celeberrimi Iurisperiti. (n)

Erant autem hae tabulae, teste PHAVORINO apud GELLIVM, (o) eleganti, sed absoluta breuitate scriptae, sensusque verborum saepe tam praecisus et obscurus, vt veteres interpretes ipsi aliquando in verbis haesitauerint inscii, quidnam ea sibi vellent. (p) Factum id esse videtur, vel ex antiquo more leges breuissimis sententiis includendi, vel consulto, vt scilicet Patricii, qui ad se interpretationem pertinere volebant, sic leges explicandi auctoritatem sibi reseruent. Vt de SOLONE PLVTARCHVS refert: λέγεται δὲ καὶ ἵδὲ νόμους ἀσαφέστερον γράψας, καὶ πολλὰς ἀνιλήψεις ἔχοντας, αὐξήσαι τὴν τῶν δικαστηρίων ἰσχυρῶς. Simpliciter nimis, ac generatim scripserat leges, et sic per multas in sensu ambages iudicium auctoritatem stabiluerat.

His legibus XII. tabb. latis cum Decemviri, quorum magistratu nunc non amplius opus erat, propter arrogantiam et crudelitatem potestate sua expulsi alii in carcere, alii fuga periissent: patricii tamen omnem penitus populo potestatem tradere volebant. Quam vt retinerent, mitius cum populo agere et astuto vt consilio coeperunt. Contendebant enim, iura quidem reipublicae in XII. tabulis firmata esse, sed non modum, ius suum in iudiciis persequendi. Hinc legis actiones inuenerunt, id est, certas formulas, ritusque sollemnes, quibus litigantes in iudicio experiri debebant, ita vt si verbulo a consueta et legitima formula aberrassent, causa caderent. (q) Fastos etiam et nefastos instituerunt dies, quibus lege agere vel licebat, vel non, vel ex parte tantum licebat. (r)

Harum rerum omnium et interpretandi scientia apud collegium Pontificum et Patricios initio erat, qui tanquam mysterium eam custodiebant, et quos litigaturi semper adire debebant. (s) Postea

B

vero

(l) Hist. nat. cap. XXXIII.

(m) Vid. HENNECCI Histor. iuris Rom. lib. I. cap. 11. §. XXV. et cel. FVNCCHI Prof. Acad. Rintel. Patruelis mei dilectissimi praeliminaris de legibus XII. Tabularum dissertatio §. VIII.

(n) vid. V. C. EV. OTTO praef. Tom. III. thes. iuris pag. 25. seq.

(o) Noct. Attic. lib. XX. cap. 1.

(p) vid. I. N. FVNCCHI tract. de pueritia Lat. Linguae cap. III. §. XVIII. et SCHVBARTI de fatis iurisprudentiae Rom. exerc. II. §. 43.

(q) vid. HOFFMANNI histor. iuris lib. I. cap. 1.

(r) OVIDIVS fast. I. 47.

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur:

Fastus erat, per quem lege licebat agi.

(s) De magna potentia collegii Pontif. leg. Orat. CICERONIS pro domo sua ad Pontif.





vero, cum, teste POMPONIO, APPIVS CLAVDIVS disposuisset et ad formam redegerisset has actiones, CN. FLAVIVS, scriba eius, libertianus filius, subreptum librum populo tradidit, et adeo gratum fuit id munus populo, vt Tribunus plebis fieret et senator et aedilis curulis. Hic liber, qui legis actiones continet, appellatur *ius Flavianum*. (t)

Enunciatis his mysteriis, irati illi, quod verebantur, ne, die-rum ratione peruulgata et cognita, sine opera sua lege posset agi, nouas inueniebant formulas, illasque, vt auergerent obscuritatem, notis et signis compendiosis lectuque difficilioribus exprimebant, vt omnibus in rebus ipsi interessent. Eas vero denuo euulgauit S. AELIUS CATVS, qui, teste POMPONIO, alias actiones composuit, vel potius collegit, et librum populo dedit, qui appellatur *IVS AELIANVM*. (v) Cum autem ex hisce notis, et earum subtili ac varia interpretatione fraudes extiterunt iurisque calumnia, summa tandem intercessit Imperatoris auctoritas, quae diserte prohibuit posthac eiusmodi notis et signis in iurisprudentiae libris vti, ne qua malignis interpretibus, aut imperitis verborum euertendorum ansa praebere-tur. Reliquias harum notarum nobis reliquit VALERIUS PROBUS. BRISSONIVS lib. II. form. et IOH. NICOLAI tractat. de *siglis veterum* cap. IX. seq.

Iisdem temporibus post confectas XII. tabb. Patricii inprimis (inter quos veluti traditione quadam conseruata videbatur iurispru-dentia vsu magis quam institutione acquisita) obscuras et ambiguas coeperunt interpretari leges, deque vero earum sensu, eiusque ex-tensione ad alias species similes, verbis legum non expressas, dis-putare.

Hinc celebres illae interpretationes PRVDENTIVM et disputa-tiones fori, quibus primum ciuitatis consensus, deinde etiam Impera-tor magnam tribuit auctoritatem. Omnes enim illos, quorum stu-dium in legibus ac iure interpretando et actionibus demonstrandis versabatur, PRVDENTES appellare solebant. Hinc POMPONIVS: (x) *His legibus, inquit, latis, coepit, vt naturaliter euenire solet, vt inter-pretatio desideraret PRVDENTIVM auctoritatem, necessariamque dispu-tationem fori.* Et CICERO: (y) *Cognitio iuris atque interpretatio summo in honore semper fuit, quam quidem ante hanc confusione-m temporum in possessione sua retinuerunt principes.* PRVDENTES vo-cabantur, quod antea plerumque vel magistratus vel iudices fue-rant, aut alio dignitatis splendore eminuerant, et longo rerum vsu magnae peritiae et prudentiae famam erant consecuti. Licet enim postea plebeii etiam toti in prudentia ciuili occupati de vera expli-catione responderent: maiorem tamen fidem et commendatio-nem conciliabant dignitas et merita interpretis. (z) *Ego memini,*

inquit

(t) vid. LIVIVS lib. IX. cap. 46. CICERO Oratione pro Murena cap. XI.

(v) conf. Viri illustres FRID. GVIL. PESTELII I. V. D. et Professoris in A-cademia Rintel. Cl. Fautoris et amici aestumatifissimi elegans dissert. de natura legis actionum.

(x) l. II. ff. §. 1.

(y) lib. II. de officiis.

(z) vid. SCHYBARTVS l. c. §. LI. et HOFMANNI hist. iuris lib. I. cap. I. per. III.



inquit CICERO, (aa) *summos fuisse in ciuitate nostra viros, qui ius interpretari populo et respondere soliti sunt.*

Quare nec mirandum, PRVDENTES illos ob famam singularis sapientiae ab ipsis iudicibus non raro in iudiciis adhibitos et quasi assessores constitutos fuisse, qui iuris legumque normam demonstrarent, controuersa et ambigua componerent, ad id, quod aequius, melius impellerent dissidentes, ac litem absoluerent maturius. Sic temporum successu populique consensu interpretationes PRVDENTVM tantam auctoritatem consecutae sunt, vt iudices ipsi eorum responsis addicti ita demum decernerent in lege esse, quemadmodum PRVDENTES respondissent. PRVDENTES hi etsi nomine iureconsultorum etiam insigniuntur, sensu tamen speciali a iureconsultis diuersi fuisse videntur. Iureconsulti, proprie dicti, erant, qui de iure consulebantur, vt ipsum nomen indicat.

Hi domi confidebant in folio, liberum facientes aditum omnibus, qui iuris legumque vim capere causaeque naturam intelligere, et, quae vitanda, quae agenda, nosse volebant: vnde *responsa iureconsultorum* orta sunt. Talem IUVENALIS (bb) Iurisconsultum, qui ex folio suo tanquam ex tripode oracula fundebat, Apollinem vocat

*Sportula, deinde forum, iurisque peritus Apollo* sc. petitur.

Qua de re etiam CICERO (cc) domum iurisconsulti *Oraculum totius ciuitatis* appellauit. Et in epistola ad ATTICVM (dd) ad folium hoc respexit, quando per iocum scribit: c. AQVILIVM *iureconsultum irrasse morbum et illud suum Regnum iudiciale opposuisse.* Ad morem hunc consulendi alludit HORATIVS (ee)

*Agricolam laudat iuris legumque peritus*

*Sub galli cantum consultor vbi ostia pulsat.*

Et alibi: (ff)

*Romae dulce diu fuit et solenne, reclusa*

*Mane domo vigilare, clienti promere iura.*

Solebant autem hi iureconsulti, cum clientibus responderent, admittere iuuenes, qui audirent, notarentque responsa, rationemque tradendi atque interpretandi iuris, vt consuetudine tali prudentiores fierent, sibi que subsidia ad causarum vsum forensium compararent.

B 2

(aa) lib. I. de legibus.

(bb) Sat. I. V. 128. Nodum, quem Vir Doctissimus I. F. ECKHARDVS, Rector Scholae Franckenhusanae et Adiunctus Facultatis Philof. Ienenfis, edita nuper disquisitione *de Apolline Iurisperito*, hic quaerit, non inuenio. Intelligit per *Apollinem iurisperitum* statuam Apollinis auream in foro AVGVSTI, vbi iura redderentur. Sed *Iurisperitus* hic non epitheton est vocis Apollinis. Apollo hic non iurisperitus, sed Iurisperitus vocatur Apollo. *Iurisperitus Apollo* i. e. Iurisp. qui tanquam Apollo consultitur et respondendi officium sustinet. Quo sensu CICERO loco supra cit. domum iurisconsulti vocat *oraculum*. Vel iurisperitus Apollo vocatur, quia responsa iurisp. erant breuissima, nullis rationibus munita, obscura et tam deua, quam Apollinis.

(cc) lib. I. de orat.

(dd) lib. I. 1.

(ee) Serm. I. 1. V. 9. 10.

(ff) Epist. II. 1. V. 103.





rent. (gg) Hac ratione se legum peritiam hausisse CICERO testatur. (bb) Ego, inquit, a patre ita eram deductus ad Scaeuolam, sumta virili toga, ut, quoad possem, ac mihi liceret, a senis latere nunquam discederem. Itaque multa ab eo prudenter disputata, multa breuiter et commode dicta memoriae mandabam. Et alibi: (ii) Facillime et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros bene consulentes reip. contulerunt. Quibuscum si frequentes sunt, opinionem afferunt populo eorum se fore similes, quos sibi delegerunt ipsi ad imitandum. Modum consulendi et respondendi certis formulis solennibus describit HEINECCIUS Antiq. Rom. lib. I. Tit. II. §. 33.

Ab his, ut supra dictum, aliquo modo videntur distinguendi PRVDENTES. Illi quidem leges quoque interpretabantur per edita responsa: Hi autem proprie legum erant custodes et interpretes, qui rationem tradebant, illas accommodandi factis, vel, ut IUVENALIS loquitur: (kk) *Qui iuris nodos et legum aenigmata solunt.* i. e. obfcuras et velatas quaestiones explicant: vnde Graecis *λογογράφοι* dicebantur.

Interpretabantur autem hi iura partim libris scriptis, cum formulas agendi, cauendi, excipiendi rogantibus darent. Hinc CICERO ad TREBATIVM (ll) per iocum: *scribere oblitus es*, videlicet sponsonum, testamtorum, stipulationum formulas, ac similes plures: *minus multi iam, te aduocato, causa cadent.* Partim, dum propter aetatem, res gestas et honores perquam insignes, vel medio inambulabant foro, vel curias et iudicia obibant, ut consulturis esset sui copia. De vtrisque CICERO, (mm) *Priuata*, inquit, *iudicia maximarum quidem rerum in iureconsultorum mihi videntur esse prudentia. Nam et adsunt multum* (in medio puta foro, vel clientibus in iudicio) *et adhibentur in consiliam* (domi), *et patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrant.* Ex quibus etiam patet, cur et Aduocati dicti sint. (nn) Frequentes autem conuenire solebant vel ad puteal Libonis, qui locus erat in comitio Romae, vbi ad forensam causam aduocati, puteal siue aram Libonis tangentes iurare prius, quam agerent, iubebantur, nihil se ob aduocationem accepisse: vnde Horatius (oo)

- - - ante secundam

*Roscius orabat, sibi adesses ad puteal cras.*

Id est, Roscius, causam dicturus, te aduocatum postulat. (dd) Vel ad templum

(gg) vnde discipulos iureconsultorum *Auditores* dictos fuisse contendit HEINECCIUS Hist. iuris lib. I. c. III. §. 156.

(bb) lib. II. de legibus.

(ii) lib. II. de officiis.

(kk) Sat. VIII. §. 50.

(ll) ad diuersos lib. VII. ep. 14.

(mm) Topic. XVII.

(nn) Patet etiam hinc discrimen inter Patronum et Aduocatum, quos ita distinguit ASCONIUS: *Qui defendit alterum in iudicio, aut Patronus dicitur, si Orator est: aut Aduocatus, si aut ius suggerit, aut praesentiam suam commodat amico: aut cognitor, si praesentis causam nouit, et sic tuetur ut suam.*

(oo) Serm. lib. II. Sat. 6. §. 35. conf. lib. I. ep. 19. §. 8.

(pp) vid. RVNCCI diff. de hominibus in foro R. aequam, in Symb. lit. Brem. tom. I. CHRISTOPH. LVD. CRELLII diff. de puteali Libonis §. X. PLIN. lib. V. ep. 21. conf. HEINECCII Antiq. Rom. lib. IV. tit. V. §. 2.



plum Apollinis conueniebant. Hic enim concilium aliquod PRVDENTVM fuisse, qui rogantibus leges et iura interpretati fuerint, multi ex IUVENALIS scholiaste probare nituntur, qui ad verba supra cit. adiecit: *Quia iuxta Apollinis templum iureconsulti sedebant et tractabant i. e. disputabant.* (qq)

Dum autem PRVDENTES siue ad puteal Libonis, siue iuxta Apollinis aedem conuenerant, nonnunquam, vt fieri solet, de variis et perplexis quaestionibus differendi occasionem nacti sunt, quae disputatio fori dicebatur. Quorum PAVLLVS in primis meminit l. 19. ff. *et RAEVARDVS l. c.* Quod si igitur dubiam quaestionem eiusmodi disputatione diremissent, conuenissentque inter se, definitio illa communi suffragio facta permagna auctoritatis habebatur, et *ius receptum*, *ius civile*, *sententia recepta*, et *regula iuris* vocari solebat. POMPONIVS: (rr) *Ius, illud, quod sine scripto in sola Prudentium interpretatione consistit, proprie ius civile appellari scribit.* Et FESTVS: *Receptum, inquit, dicitur, quicquid a plerisque Prudentibus adprobatur est.* Torum illud ius a Prudentibus interpretando disputandoque inuectum *ἡ τῶν σοφῶν νομοθεσία* dicitur. Hinc a CICERONE coniunguntur *ratio iuris interdictique vis*, *Praetorum voluntas* et *Prudentum consilium et auctoritas.* (ss) Enimuero licet interpretationes PRVDENTVM et responsa magnam obtinerent auctoritatem: initio tamen iudices non semper obligabant: dicendo etiam saepe euertebantur ab Oratoribus. Hinc in Oratione pro CAECINA (tt) *cic. mihi, inquit, mirum videri solet, nec iureconsultis concedi, nec ius civile* (nimirum responsa prudentum) *in causis semper valere oportere.* Et pro MYRAENA: (vv) *Vestra, inquit, responsa atque decreta et evertuntur saepe dicundo et sine defensione oratoris firma esse non possunt.* Verum illa tamen sententia PRVDENTVM, quae vsu communi approbatur per frequentem casuum decisionem sensum iuris non scripti auctoritatem consecuta est, et *consuetudo* vocabatur siue *ius consuetudinis*, vt CICERO appellat, (xx) *quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobauit.* Hinc alibi CICERO (yy) *Haec, inquit, habemus in XII. sane secundum naturam, quae norma legis est: reliqua sunt in more.* Et POMPONIVS: *haec disputatio, et hoc ius sine scripto venit, compositum a PRVDENTIBVS.* Maior autem PRVDENTVM interpretationibus accessit auctoritas a Praetorum approbatione, qui vsu fori, velut suffragio populi, id quod huic videbatur ex iure ciuili gratum acceptumque, in edicta receperunt, et sic iudicato illorum vim quandam legis dederunt. (zz) *Esti quidem hi viri PRVDENTES videri nolebant nouas introducere leges, et nomen solum prae se fe-*

C

rebant

(qq) vid. RAEVARD. de auctoritate Prudent. XIV. p. 1031.

(rr) lib. II. D. de origine iuris.

(ss) in Orat. pro A. CAECINA.

(tt) cap. 24.

(vv) cap. 13.

(xx) lib. II. de inuentione c. 54.

(yy) lib. II. de legibus.

(zz) vid. SCHVBARTVS l. c.





rebant interpretum et qui sensum legum ad species similes, legibus non expressas, applicarent: nihilominus tamen inueniebant nouas plane doctrinas, et multa iuris capita per interpretationes suas et disputationes inuexerunt in forum, quae nec lege vlla nec praetoris edicto continentur. Vnde a veteribus *Auctores et conditores iuris* appellati sunt. (*aaa*) Ex variis etiam his interpretationibus *PRUDENTVM*, qui saepe vim legibus faciebant, easque in causam suam detorquebant, non potuit non maxima iuris oriri calumnia et malitiosa, sub specie iustitiae, ad euerdendos alios, fallendi ratio. Hinc *CICERO* (*bbb*) *cum multa*, inquit, *praeclare legibus essent constituta, ea iureconsultorum ingenii corrupta ac deprauata sunt.*

Promiscuam hanc interpretandi et de iure respondendi licentiam sustulit *AVGVSTVS*, eamque concessit paucis quibusdam celeberrimis Iureconsultis, inter quos primi *M. ANTISTIVS LABEO* et *C. ATEIVS CAPITO* fuerunt: simulque iudicibus eam legem dixit, ne ab eorum sententiis et responsis vnquam recederent aut discrepent. Ita quidem responsa *PRUDENTVM* plenam iuris auctoritatem acceperunt; sed vera huius instituti causa et consilium Imperatoris erat, vt callide sic sibi legislatioriam potestatem vindicaret, legumque munia, vt *TACITI* verbis vtar, ad se traheret, legesque antiquas, quae reserui non possent, per interpretationem iureconsultorum, quos sibi conciliabat, ad praesentem reipublicae formam statumque monarchicum accommodaret. (*ccc*) Eodem instituto ceteri Imperatores folleter vsi sunt, et iuris tantum consultis de iure ac iustitia respondendi in regnorum suorum prouinciis potestatem dederunt. *HADRIANI* vero temporibus iterum omnes, qui modo studiorum habebant fiduciam, de iure respondendi facultatem impetrauerunt. Posteriori aetate facultas haec respondendi, vt praecipuum ius, certis quibusdam denuo ab Imperatoribus concessa videtur. Praeterea quoque scripta iureconsultorum et eorum commentationes ad XII. ad edictum perpetuum cet. magnam in foro auctoritatem habuerunt. Quoniam vero ex magno Iureconsultorum numero, qui, vt fieri solet, in diuersas saepe abripiantur sententias, variae oriebantur sectae, et inde magna iuris incertitudo: *THEODOSIVS* iunior et *VALENTINIANVS* III. Imperatores quorundam eminentissimorum Iureconsultorum scriptis, vt *PAPINIANI*, *VLPIANI*, *PAVLLI*, *IVLIANI* et *MODESTINI* vim quandam legis tribuerunt, et ea in iudiciis praeualere iusserunt. Ex his et aliorum Iureconsultorum libris et decisionibus legitimis nouum denique iuris volumen, *PANDECTARVM* illud elegantissimum opus, compositum *IVSTINIANVS* publicauit, suamque sententiam de eo his verbis declarauit: *Nomenque libris imposuimus Digestorum seu Pandectarum, quia omnes disputationes et decisiones in se habeant legitimos, et quod vndique fuit collectum hoc in sinu receperunt.* De codice hoc enucleati iuris affirmare non dubitamus, quod *Cicero* de exiguo XII. tabularum libello dixit

(*aaa*) vid. Heineccii Antiq. Rom. ad instit. lib. I. Tit. I. §. XXXVI.

(*bbb*) in orat. pro Murena cap. XII.

(*ccc*) vid. HEINECCI Antiqu. R. I. c. et HOFFMANNI histor. iuris lib. I. cap. I. per. V. sect. I. §. 2.





dixit, illud bibliothecas omnium philosophorum, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et vtilitatis vbertate, superare, et quod propter sermonis in illo elegantiam FRID. TAVEMANNVS: olim cecinit:

Credo ego, si linguae Ciceronis imago perisset,

E iuris posset corpore restitui.

De PRUDENTIBVS scribendi haec nobis occasionem praebuit Iuris prudentum nostri temporis clarissimus

VIR ILLUSTRIS ET CONSULTISSIMVS

DOMINVS

IOHANNES ANDREAS  
HOFFMANN

IURIS VTRIVSQUE DOCTOR GOTHANVS

Non ita pridem, clementissime iubente SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPE DOMINO GVILIELMO VIII. PATRE PATRIAE INDVLGENTISSIMO, ex academia lenensi, vbi per aliquot annos non sine laude et applausu iura legesque interpretatus est, in nostram Marburgensem, ad Professionem iuris ordinariam accipiendam rite vocatus. Quam enim hic nouum docendi munus oratione, quam vocant, inaugurali a. d. XIII. kalend. Nouembr. auspiciari apud se constituisset, ea, praemissa aliqua dissertatione, vt mori et consuetudini satisfaciamus, nunc nobis est, vna cum vitae curriculo, indicenda.

Natus est Tambaci, in vico (Marktstücken) ducatus Gothani. Patrem habuit CHRISTOPHORVM GOTHOFREDVM HOFFMANNVM, scholae rectorem, ad beatorum sedes nunc receptum; matrem, SVSANNAM MARGARETHAM FRANCISCI HEVSINGERI, sacrorum in pago Sundhufano antistitis, filiam. A teneris magna cura et industria educatus, et fidelissima patris institutione per aliquot annos felici successu vsus est. Cum annum aetatis decimum tertium vix egressus esset, Gotham missus et in praestantissimorum litterarum doctorum disciplinam est traditus, ibique ad animum, quod ad humaniora atineret, rite exornandum, manus fideles adhibuisse laudat viros clarissimos, IOANNEM HENRICVM STVSSIVM, gymnasii illustris Gothani rectorem, inprimis vero IOANNEM MICHAELM HEVSINGERVM, auunculum, postea gymnasii Ise-nacensis directorem. His ducibus eos in litteris humanioribus progressus fecit, vt beati parentis iudicio ad studia academica idoneus censereetur. In Athenaeum igitur, quod Ienae floret, concessit, et viro summe reuerendo IO. IACOBO SYRBIO favesces academiae tunc tenente, nunc inter coelites recepto, albo studioforum adscriptus fuit. Initio philosophiae operam nauauit, eoque consilio B. STELLWAGIVM, M. IO. FRID. STRAVBIVM, logicam et metaphysicam traden-







tes, audiuit. In mathematicis et physicis viros ill. HAMBARGERVM, et summe venerandum IO. BERNHARDVM WIDEBVRGIUM, in historicis illustrem CHRIST. GOTTL. BYDERVM duces sibi elegit. Praecepta naturae et ciuilibus iuris, iuris historiam in excellentissimi IO. AVGVSTI HELLFELDIJ scholis didicit, eiusdemque exercitationes disputatorias publice institutas per triennium frequentauit. Tandem ad scopum respiciens scientiae legali se tradidit totum, et virorum illustrium atque excellentissimorum ESTORIS, nunc academiae nostrae magnifici procancellarii, et Regiminis Principalis Confiliarii intimi, BYDERI, HEIMBURGI, ENGAUI, et SCHAVMBURGI, ius publicum, feudale, digestorum, criminale et canonicum solide docentium, scholas adiit, ex quibus nunquam nisi doctiorem reuertisse gloriatur. Quibus peractis, vt publice rationes suorum studiorum redderet, dissertationem de *hypotheca mobilium* sub praesidio modo laudati HELFELDIJ in cathedra iuridica defendit, et praeterea aliis scriptionibus ingenium suum publicauit nec non in forum venit. Denique e re sua fore noster arbitratus est, vt praemia studiis academicis digna peteret. Quo sine apud ordinem iuridicum, qui Ienae splendet, examinibus publicis se submisit, atque in vtroque se ita praestitit, vt omnium suffragio ad specimina reliqua et summos in vtroque iure honores admitteretur. Dissertationem igitur suam, quam inauguralem dicunt, de *iuribus indigenarum Germaniae* praefide illustri atque excellentissimo IO. RVDOLPHO ENGAUIO, codicis et nouellarum professore ordinario, curiae prouincialis et facultatis iuridicae adfessore, nec non scabinorum collegii seniore longe meritissimo, d. XIII. Maii clolcccxlvi. habuit.\* Hoc peracto, diutius Ienae versari et virium suarum experimentum docendo, scribendo, aliorumque causas suscipiendo facere constituit. Edidit autem sequentia scripta, quorum tituli sunt:

- 1) *I meriti de medici nella giurisprudenza*, Giena 1741. f.
- 2) *L'Emmienza e prerogative dello stato d'Amburgo ed i meriti d'alcuni signori Amburbesi nella giurisprudenza ib.* clolcccxlvi. 4to.
- 3) *Selecta de vnionibus electorum, ibid.* clolcccxlvi. 4to quae clolcccxlvi. variis accessionibus et disquisitione de *rege Romanorum et iuribus electorum S. R. I. circa illius electionem* locupletata prodierunt.
- 4) *Meditationes iuris publici de potentatu statuum S. R. I. eius origine atque effectibus, ibid.* clolcccxlvi. 4.

5) *Ausa*

\* Haec deprimta sunt ex programme illo, quod celeberrimus ille antecessor Ienensis, IO. CASPAR HEIMBURG ad actum illum solemnem, quem inauguralem dicimus, publici iuris fecit, simulque disquisiuit: *an aduocatus sisci ad consequendam poenam, quam reus incurrit, peculiari processu opus habeat?*




- 5) *Zuserlesene, jedoch vollständige, juristische Bibliothek*,  
ibid. clöcccxviii. 8.
- 6) *Repertorium locupletissimum in BVRCARD. GOTTHELF. STRVVI  
iurisprudentiam heroicam, adiecta praefatione: de diuersa rela-  
tione principum imperii*, ibid. clöcccxlviij. 4to
- 7) *Thesaurus iurisprudentiae Romano - Germanicae forensis secun-  
dum ordinem pandectarum ex opusculis celeberrimorum IC-  
torum editis atque ineditis adornatus. Tom. I. fasc. I. ibid.  
clöcccxlviij. 4.*
- 8) *diff. in aug. de iuribus indigenarum Germaniae. ibid. clöcccxlviij.*
- 9) *diff. iurid. de modis Germanorum coercendi maleuolos accusatores,  
respond. Io. Henr. Schmidt, Buttstad. ibid. e. a.*
- 10) *diff. de retractu praecipue secundum statuta S. R. I. liberae ci-  
uitatis Lindauensis competente, ibid. clöbcccl. respond. Iac.  
Felf. Lindau.*
- 11) *diff. de austraegis Ordinum S. R. I. aliorumque imperii membro-  
rum praecipue liberae S. R. I. ciuitatis Memmingensis, ibid. e. a.  
respond. Melch. Egenolph Saylor de Pfersheim, Memming.*
- 12) *diff. de iudicibus atque aduocatis nec non causis eos remouen-  
di ab officio et foro, respond. Henr. Theophilo Eylenslein, Vi-  
nar. ibid. clöbccclij.*
- 13) *diff. de genuino remediorum prouocatoriorum eorumque actionum  
annexarum usu practico, auct. et respond. Carolo Adolpho  
Wachlero, Gothan. ibid. clöbccclij.*
- 14) *diff. de anno gratiae et praecipue quatenus ad heredes collaterales  
transferri queat, respond. Io. Frid. Hager. Gothan. ibid.  
clöbccclij.*
- (15) *progr. de procuratoribus ex officio constituendis, Marburgi  
Cattorum e. a. Et quae sunt multa alia scripta ab eo litteris  
mandata, quae eius nomen non profitentur, vt nouissimae rela-  
tiones Iuridicae, allerneueste Nachrichten von Iuristischen Bü-  
chern, quarum partes XXXVII - LXXXVI. sibi vir doctissimus  
vindicat.*

Postea vero quam, sic iubente SERENISSIMO HASSIAE LANDGRAVIO, a nobis Professio iuris ordinaria ipsi fuit oblata, eam accepit et Ienen- si academia relicta, se ad nostram Musarum sedem contulit. Hanc prouinciam clementissime sibi assignatam, vt statutis academiae mo- rem gerat, solemnem oratione ingredietur:

*De iure eligendi Episcopos atque Abbates ab impera-  
toribus, capitulis, nec non monasteriis ante trans-  
actionem*

D





*actionem illam, quae vulgo concordatorum nationis  
Germanicae nomine insigniri solet.*

Nos quidem non ambitiose laboramus, VIRO CONSULTISSIMO  
illustrem atque frequentem Academiae Procerum civiumque prae-  
sentiam vt conciliemus, cum neminem fore putamus, qui dicto  
die locoque nobiscum convenire, suumque erga novum Collegam  
studium et fauorem nolit declarare. Attamen quia mos est ita ro-  
gandi, rogamus qua possumus humanitate et obseruantia *Perillu-  
strem atque magnificum ACADEMIAE PROCANCELLARIVM,  
CONSILIARIVM REGIMINIS INTIMVM*, reliquos etiam  
*ACADEMIAE PROCERES* et *PROFESSORES* omnium or-  
dinum *celeberrimos*, *LITERATOS* quosque literarumque *FAV-  
TORES*, *Generosos* inprimis et *nobilissimos Dominos COMMIL-  
LIONES*, vt honorifica grataque praesentia sua hunc actum collu-  
strare ne dedignentur. Sic nos inuitando et monendo fecimus,  
quod officii nostri ratio efflagitabat. P. P. Marburgi XVII.  
kalend. Nouembr. c1o1occliiii.



De iure dignitate Episcopi et eius Abbatis ad imperia-  
tores, capitula, nec non monasteria ante tunc  
tem gerat, solemnem oratione ingrederentur.

promissam clementissime sibi auguratum, vt tametsi academiis mo-  
di academiis restitit, se ad nostram Miltiam sedem conuulit. Hanc  
nobis Proletis iuris ordinatis ipsi tunc obtulit, cum accepit et ioren-  
Postea vero quam se imperia selementino HASSE LANDGRAVI, a



Marburg, Diss., 1753-55

ULB Halle  
005 034 817

3




TA → α

nr 1 + 10 Stück







B.I.G.

Farbkarte #13

AUCTORITATE

583 9

1754,3

AE MAGNIFICENTISSIMI  
NCIPIS HEREDITARIII  
OMINI

# FRIDERICI

DGRAVII RELIQ.

EM SOLEMNEM  
ISCOPOS ATQVE ABBATES  
VLIS NEC NON MONASTERIIS  
A QVAE VVLGO CONCORDATORVM  
NOMINE INSIGNIRI SOLET

AV A  
T CONSVLTISSIMVS  
I N V S

## REAS HOFFMANN

IVRIS ORDINARIAM  
EMBR. CLIOCCCLIIII. HORA X.  
MAIORI AD LANVM  
SPICABITVR  
AVDIENDAM

M MAGNIFICVM  
OCANCELLARIVM

CONSILIARIVM INTIMVM  
EMIAE PROCERES

RTIVM PROFESSORES CELEBERRIMOS  
NOBILISSIMOS CIVES  
FAVTORES ET PATRONOS  
DISSERTATIONE

ITATE PRVDENTVM APVD  
LEGVMQVE INTERPRETVM

MANITATE INVITAT

ECTOR

OLAVS FVNCCIUS

ELOQVENTIAE ET POESEOS PROFESSOR ORD.

